Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 123
Quelle:
Copyright:

cipiunt Evangelia Missarum pro diversis opportunitatibus, quorum Inscriptiones minus obviae: *In commotione gentium. In die belli. Ad uelandam maritatam. In aduentu iudicum*, videlicet legatorum a Principe.

Fol. 11. *Beato Papae Damaso Hieronimus.* Haec in Evangelia Praefatio, quae incipit: *Nouum opus facere me cogis* &c. extat edit. *Vallarsii Opp. Hieron.* T. X. *col.* 659. cui Textui noster paene ad literam concordat, nisi quod pro: *Ita calamo temperavimus*, saltem aeque bene legat *imperavimus.* Sequitur: *Incipit Prologus Quatuor Evangeliorum.* Nempe, ut edit. *cit.* T. VII. *col.* 1. *Plures fuisse qui Evangelia scripserunt* &c. Etiam hic lectio castigata est. Habetur tamen *lignis mobilibus* pro *immobilibus* et fortassis non vane; licet enim *Exod.* 25. v. 15. vectes illi e circulis extrahi prohibebantur, quis tamen neget vectem circulo insertum *mobilem* esse? Mira praeterea inversio: *nequaquam legis umbra succedente euangelii ueritatem seruabant*, pro *nequaquam legis umbram succedente evangelii veritate servabant*, quae tamen et ipsa defendi posset, si dicas, Hebraeos illos, postquam in *Jesum* crediderant, denuo vacillasse, et *Matthaei* Evangelio confirmandos fuisse. Denique rectius, ut mihi videtur, Codex: *illud probemio caelo veniens eructuauit*, quam Edita: *in illud prooemium coelo veniens eructavit.* Ad verba: *Satisque miror Eusebi* &c. manum de pagina sustulit Librarius noster; quae enim de solo *Matthaeo* deinceps sequuntur, non erant ad institutum Prologum in omnia IV. Evangelia tradere volentis. Igitur continuat: *Eusebius Carpiano Fratri In Domino Salutem. Ammonius quidam Alexandrinus* &c. ut edit. *cit.* T. X. *col.* 667. In hac de graeco versa Epistola, qua docet *Canonum* suorum *harmonicorum* usum *Eusebius*, utut aliquot menda in Codice cubent, duo tamen ad graecum magis exacta sunt: *decem numero* (δεκα τον ἀριθμον) pro *decem numerorum*, et *supputatio per minii* (δια κινναβαρεως) *distinctionem* pro *per lineae distinctionem.* Rectius item: *qualicumque de quatuor Evangeliis*, quam: *cum quattuor Evangeliis.* Non autem continuo succedunt *Canones*, sed primo subpositicium illud Monitum: *Hieronimus Damaso Papae. Sciendum etiam, ne quis ignarum* &c. ut edit. T. *cit. col.* 665. in quo nihil peculiare, nisi quod noster in fine pro *in perpetuo* ponat *in christo.* Tum: *Incipit Argumentum Secundum Matthaeum*, notum illud e Bibliis glossatis: *Matthaeus ex iudea sicut in ordine primus* &c. Demum: *Incipit Breuiarium Ejusdem.* Intellige *Matthaei*, non *Hieronymi*; multo enim antiquiora, nec ad Versionem *Hieronymianam*, sed Vulgatam *Italicam* adaptata sunt isthaec *Breviaria* seu *Capitularia*, licet etiam temporis lapsu *Hieronymianae* a Librariis praefigerentur. Agit de iis *Jos. Blanchinus* P. I. *Evangeliarii Quadrupl. Prolegom.* 2. p. 50. et P. II.